

EXERCITIUM ACADEMICUM,  
DEÆTERNITATE  
DEI,

QUOD,

*Suffrag. Ampliſſ. Facult. Philoſoph. In Regia  
Academia Aboëniſi,*

PRÆSIDE,

*Viro Maxime Reverendo atque Celeberrimo,*DN. CAROLO  
MESTERTON,S. S. Theol. DOCT. & Metaph. PROFESS.  
Reg. & Ord.*Bonorum cenſuræ modeſte ſubjicit*

JONAS SUNDLER,

W. GOTHUS.

In Auditorio Majori, d. V. Dec. Anni MDCCLII,  
Horis, ante meridiem, contvetis,

---

ABOÆ, Impreſſit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.*L. Chytræus*

A. M. D. C. C. C. C. C.  
EXERCITIUM ACADEMICUM  
DE

# ETERNITATE DEI

QUOD

Prof. Mag. J. A. M. P. Philosoph. in Regia  
Academia

PRÆSIDE

Mag. J. A. M. P. Philosoph. in Regia  
Academia

DR. CAROLO  
MESTRION

S. S. Theol. Doc. & Mag. in Theol.

Prof. Mag. J. A. M. P. Philosoph. in Regia  
Academia

JOHANNES

W. C. M.

In Auditorio Magni S. S. Theol. MDCCC.

Prof. Mag. J. A. M. P. Philosoph. in Regia  
Academia

ABOE, I. J. P. D. & F. P. G. R. G. Mag. Duc.

Printed JACOB MACKELL

*Handwritten signature*



¶ Hinc apparet quod ratio non habet in se, & existere potest, cum deo sit  
§. I.

VI

¶ Ubi ratio existit, non in se, sed in deo  
§. II.



**D**E *Aeternitate* Dei ardua sane & perdifficilis est disputatio, tanto tamen dignior contemplatione: praesertim cum molestia haec & difficultas compensetur utilitate, qua nulla potest ex philosophando accipi major, quam, si Deum optimum maximum omnis philosophiae fontem & scaturiginem recte riteque cognoscamus. Atque eo lubentius hoc Dei attributum pertractandum suscipimus, quod luxare illud, neque satis recte explicare tentaverint olim & adhuc tentent aduersarii, illud tanquam successioni temporis obnoxium concipientes, per prius & posterius:

§. II.

**E**ns vocatur, quod non opus habet vi alterius

rius ad existendum. *Ens ab alio est, quod vi entis a se diversi existit. Omne igitur ens, quod existit, aut vi propria, aut vi entis a se diversi existit.*

§. III.

**D**Eum appellamus *Ens a se*, quod rationem existentiae suae non habet in alio, & existere potest, etsi nihil aliud existat; unde, cum *Deus* sit *ens a se*, etiam *independens* est.

§. IV.

**Q**uod rationem existentiae suae non in alio, sed in essentia sua habet, *ens necessarium* audit. Atqui *Deus* ita, ergo est *ens necessarium & absolute* quidem.

§. V.

**E***ns absolute necessarium* ita existit, ut oppositum ejus, hoc est non existere, contradictionem involvat. Quicquid vero ita existit, de eo nullum potest concipi tempus, quo existere coepit aut definit, adeoque nec initium nec finem habet; illud est, quod *aeternum* dicimus. *Deus* igitur, qui est *ens absolute necessarium*, est *aeternus*. Notio *aeternitatis*, quam dedimus, consona illi est, quam (\*) *Origines* suppeditat: *Sempiternum*, inquit, vel *aeternum* proprie dicitur, quod neque initium, ut esset, habuit, neque cessare unquam potest esse.

(\*) *αἰώνιος* Lib. 1. Cap. 3. *mixondo*

§. VI.

**A***eternitatem* Dei omnis successionis expertem esse, suo calculo permulti antiquissimorum philo

philosophorum comprobant. Plotinus. (a) aeternitatem definit per vitam infinitam eo ipso, quod tota simul consistit, nihilque amittit; cum nihil praeterierit vel sit futurum alioquin jam non tota esset. Plutarchus (b) de Deo loquens, inquit, Deus est in nullo tempore, sed in aeternitate immobili & indeclinabili, cujus nihil est prius, nihil posterius, neque futurum, neque praeteritum. Idem sentierunt Numenius, Philo Judaeus, Herrennius, Chalcidius, Proclus & alii, quorum testimonia maximam partem Dionysius Petavius (c) collegit. Ex his maxime BOETHIUS, (d) commemorandus est, cui aeternitas Dei dicitur interminabilis vitae tota simul & perfecta possessio. Definitioni Boëthii convenit illa Scholasticorum, qua aeternitatem finiunt durationem interminabilem, indivisibilem & independentem. Longe aliter visum est Socinianis, quibus praeivit Faustus Socinus, (e) etenim tempus, ipso doctore, est aeternum, quicquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit & futurum est, ut & praeteritum aliquid & praesens & futurum sit. Conrad Vorstius (f) & Crellius (g) hanc definitionem magna omnium consensione receptam directe impugnarunt. Petrum Bailium, (h) pro more suo, contra Boëthianam definitionem multa movisse non adeo mirum est, quam quod Cel. Holmannus, Gottingæ 1739, dissertationem publici juris facere non dubitaverit, qua aeternitatem Dei successionis expertem non esse, nec esse posse ostendere voluit.

(a) Ennead. III. Lib. VII. Cap. 4. (b) In libro de

in apud Delphos T. III. p. 392. (γ) *Indogmat. Lib. III.*  
 (δ) *Libr. V. de consolat. phil. pag. 137.* (ε) *In praefect.*  
*Theol. Cap. VIII. p. 545.* (ζ) *In libro de Deo & attri-*  
*butis divinis.* (η) *In lib. de Deo & attribut. ipsius, pag.*  
*43. T. IV.* (θ) *Dictionnaire sub voce Zarabella.*

§. VII.

**V**Ox duratio imprimis viris doctissimis; qui fi-  
 xam & stabilem Dei aeternitatem impugnarunt,  
 fraudi fuisse videtur, quam in definitione aeternitatis  
 adhibuerunt, quæ commode ab ea abesse potest.  
 Cum enim ista nihil aliud sit, quam existentia si-  
 multanea cum rebus pluribus successivis, illa de Dei  
 existentia non commode usurpari potest. Etenim  
 ista successiva, ad quæ respiciendum est, vi notio-  
 nis *durationis*, aut Deo *interna* sunt, aut *externa*. Non  
 possunt esse *interna*, quandoquidem ipsi nulla actu  
 mutabilia inesse possunt, sine quibus *successionem* con-  
 cipere non licet. Nec *externa* mutabilia hic locum  
 obtinent, siquidem Deus existere potest *sine alio a*  
*se diverso*, (§. III.) & quod consequens est, *sine succes-*  
*sivis externis*. Jam vero *aeternitas* nihil est nisi *exi-*  
*stentia Dei* experti *initii* atque *finis*. (§. V.) Removenda  
 igitur ab ea est notio *durationis*. Si eam retinere  
 volueris, non veri nominis est definitio *aeternitatis*.  
 Etenim hac ratione non complectitur ea, quæ sem-  
 per competunt existentiae Dei experti *finis* atque  
*initii*. Sumamus enim, quod revelatio extra du-  
 rationis aleam collocat, mundum non ab aeterno  
 produ-

productum esse, sequitur, quod tum *duratio* Deo non comperat, quia non erant successiva; quamobrem & *aeternitas* ipsi attribui nequit. Magni momenti quaestionem hanc esse ex iis apparet, quae diximus, nisi dissentus in definitione *durationis* lateat. *Tempus* & *duratio* sunt *accidentia*. Qui igitur Deo *durationem* adscribit, is statuit in ipsum *accidentia* cadere. At vero inquires, Deus coëxistit *successivus*, ideo ipsi attribuenda est *duratio*. Non negamus, *durationem* de Deo prædicari posse, sed eam esse *attributum* Dei negamus. *Duratio* enim Deo competit tanquam *relatio*, quæ nullam ipsi *mutationem*, vel *successionem* inferre potest; utpote, quæ nullam *enti realitatem* superaddit, quam in se spectatam non habeat, nec ullam, quod addimus, ipsi detrudere potest. Ex his perspicuum esse videtur, viros doctos sibi & aliis negotium facessere, quia non latè *attributum* & *relationem* Dei discriminarunt.

## §. VIII.

**H**Æc, quæ hætenus disputavimus, eum in finem prolata sunt, ut existentia Dei ab existentia rerum finitarum magis magisque discernatur. Concedunt ea omnes illi, qui Deo *successionem* abjudicant. *Boethius* (a) discrimen inter æternitatem Dei & tempus constituit: quod Deus *conditis rebus antiquior* videri non debeat *temporis quantitate*, sed *simplicis potius proprietate naturæ*. Cum hoc idem sentit *Thomas ab Aquino*, (b) qui in hunc modum scribit: *dato, quod tempus semper fuerit & semper futurum sit, secundum*

dum positionem eorum, qui motum cæli ponunt sempiternum, adhuc remanebit differentia inter aeternitatem & tempus, ut dicit Boethius ex hoc quod aeternitas est tota simul. Quod temporis non convenit: quia aeternitas est mensura esse permanentis, tempus vero est mensura motus. Petavius. (γ) his calculum adjecit: Quodcumque tandem erit illud, quod ex aeterno procreabit Deus, nequam æternum optimo illo & absoluto jure censebitur. Deo hoc insitum & singulare est, ut necessario sit atque ex aeterno fuerit, & non esse non possit. Hoc vero creata res non capit, quamvis fingamus eam ex omni aeternitate constare. Ab his non multum recedit Petrus Poiretus: (δ) Asserentibus (Platoni ut ajunt & Aristoteli) mundum existentiae initio carere, fuit objectum, si id ita sese haberet, mundum igitur æternum fore. Ecce homines sibi imaginantur isti aeternitatem, quia esset infinitorum momentorum ordo, principio atque fine carens, quae vera aeternitatis ignorantia est. Falsum est mundum statui æternum, si dicatur vel semper existisse vel non posse affirmari in eo esse aliquod momentum, quod ab alio non fuerit praecessum: quamvis enim hoc esset, nihilominus mundus temporarius esset & dependens, neque hoc quicquam Dei aeternitati aut potentiae detraberet.

(α) In consolatione L. V. propos. VI. (β) In summa totius Theol. P. I. p. p. 26. 27. (γ) In dogm. Theol. T. I. p. 138. (δ) In cogitation. rational. de Deo, anima & mundo L. III. C. XVI.

§. IX.

**D**ifferimen, quod inter aeternitatem & tempus constitutum



stitimus; alia adhuc ratione probare possumus. *Aeternitas* non differt ab existentia Dei, *tempus* vero diversum est, tum a rebus, tum ab existentia earundem, siquidem non est nisi ordo, quo res se invicem in continua serie excipiunt.

§. X.

**A** *Ternitas* Dei monstrat nobis nostri, & rerum omnium, a Deo diversarum vanitatem & fragilitatem naturalem. Adeo ut, licet per mille annos subsisterint, respectu *aeternitatis* tamen, non nisi per unum diem, imo per minus quam unum diem durant: cum inter mille annos & unum diem aliqua saltem sit proportio, verum *inter mille annos & aeternitatem* nulla est. Imo vel *absolute*, citra respectum *aeternitatis*, quantumcunque diu duraverint, dum per *successionem & fluxum* durant; non nisi per *momentum* subsistunt: quoniam quod *praeteritum* est, desinit esse, & quod *futurum*, nec dum coepit esse, & quod remanet *praesens*, non nisi *momentum* est. Unde apparet, quam sit vanum & stultum, a rebus quibusvis creatis, divitiis, honoribus, voluptatibus, imo & vita sua quicquam constans ac immutabile sibi polliceri, aut quasi diuturna sint, cor ipsis affigere. Et quam contra sit prudenter agere, animum a fluxis abstractum, Deo soli, per *aeternitatem* sine & *successione* destituto, adeoque semper eidem, consecrare, ut ipse solus nobis sit quasi *habitaculum*, de *generatione in generationem*. *Aeternitas* Dei solidum praestat animae solacium adverlus terrores mortis. Quid meditati-

ditabimur dulcius, quam Deum *aeternum* esse, ac vitam *aeternam* morti substituturam, imo mortem temporalem viam nobis praestitutam ad vitam *aeternam*? Efficacissime a peccatis retrahit cogitare Deum offensum, justissimum ac severissimum iudicem pariter & vindicem, *aeternum* peccatoribus existiturum. Denique, suavissime nos invitat Dei aeternitas, qui credamus, studeamus aeternitati. Credamus, inquam, & Deum esse *aeternum*, attributaque ejus omnia: & nos, seu boni simus, seu mali, corpore tenus & anima aeternos fore; & vitam, juxta, ac mortem, aeternum duraturam. Hæc & similia, si firmiter & ingenue, ex principiis *rationis & revelationis* convicti crediderimus, quantos per omnem vitam, ad *pietatem*, ad fugam *mali*, ad studium *boni*, movebunt affectus? Porro & studeamus *aeternitatem*, h. e. indies vel horulæ quadrantem, ejus contemplationi impendamus, ut ejus *naturam*, tot hieroglyphicis ac similitudinibus, tum a patribus, tum ab ipsis gentilibus utcunque adumbratam mente assequamur.

### S. XI.

**Q**uia *aeternus* conditor ad *aeternitatem* nos condidit & dirigit, ideo beata *aeternitas* & fruitio tum *mi boni* interminabilis est ultimus fidei & spei nostræ

F I N I S.